

Vt tres bisseis cum lustris vixerat annos,  
Totq; dies Maius quot geminatus habet.

*Est & earundem notarum Latinarum usus in prosa oratione. Sic annus, in quem mutatio religionis & rituum incidit, continetur hoc versiculo. Tibi Cherubin & Seraphin incessabili voce proclamant. Numeri enim in hoc collecti faciunt 1517. hoc modo. MCCCCLLVVIII.*

*Quod vero supra de Græcis notis numerorum diximus: idem de Latinis dici consuevit. In quorum enim nominibus major multitudo numerorum reperitur, illi prestantiores, fortunatioresq; alijs videntur. Hac de causa quidam ante eventum Mauritianos contra Carolum V. pugnaturos bono animo esse iussit. Nam à Carolo vinci Mauritium non posse. Vt enim Achillis nomen numeris, qui literarum notis indicarentur, plenius esset quàm Hectoris: sic Mauritij statim initio nomen Caroli nomine esse numerosius. Et hac de causa quidam magni nominis vir de Maximiliano II. IMP. dixit: Maximilianus non vincetur à Solimanno. Cui non dissimile id quòd apud Lucianum Simon opulentus homo, cum incremento nominis Simonides appellari vult.*